

sigillo palatali premissa omnia ratificantes et adprobantes quintodecimo die datarum presencium vniuersi Nobiles et incole totius Regni nostri Sclauonie ipsi domino Episcopo dare debebunt et tenebuntur. Ad quod se prefati Petrus de Bykzad, Andreas Capitanfy de Desnyze et Johannes Viti de Korboua in persona totius vniuersitatis Nobilium obligauerunt, coram nobis ac Prelatis et Baronibus nostris predictis. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes litteras nostras secreto sigillo nostro in pendenti communitas et penes sigillum nostrum vberiore ad cautelam etiam sigillis prefatorum dominorum Prelatorum et Baronum nostrorum in huiusmodi dispositione et concordia nobiscum existentium roboratas, vtrisque partibus in simili forma decreuimus concedendas. Datum Bude in festo Inuencionis Sancte Crucis. Anno Domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, Regnorum autem nostrorum Anno Hungarie etc. decimo septimo, Bohemie vero sexto. Nos itaque supplicatione prefati domini Osualdi Episcopi nostre modo premissa porrecta Maiestati exaudita, prescriptas litteras nostras compositionales de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali transscribi et transumpni, presentibusque litteris nostris patentibus inseri facientes, paria, seu tenorem earundem eidem domino Osualdo Episcopo duximus concedenda. Datum Bude predicta in festo Beate Margarethe Virginis et Martiris Anno Domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto supradicto.

(*Sigillum Regium appressum.*)

Orig. membrana in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 40.

CXLVI.

Anno 1477. die 18. Novembris. In Korneuburg.

Mathias Rex universos Regni Slavoniae Nobiles, de defendendo Regno acturos, ad generalem a Bano indicendam Congregationem venire iubet.

Commissio propria Domini Regis.

Mathias, Dei Gracia Rex Hungarie, Bohemie etc. Fidelibus nostris vniuersis, et singulis Nobilibus, et alterius cuiusvis status possessionatis hominibus Comitatus Crisiensis salutem et gratiam. Cum per hos dies Fideles nostros Egregios Nicolaum de Dombo, Ladislaum Hermany de Gereben et Petrum Bykzady vniuersitas Nobilium illius Regni nostri Sclauonie ad nos misisset, decla-